



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio III. De sententiis, vel actibus, â quibus appellari potest, vel non potest.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

let Reus, conventus in iudicio actione reali, si petat rem in Libello petitam declarari seu obsignari, & non audiatur. *z. quod licet appellet, cum etiam hic iniuste à Iudice gravetur, qui negat illi quod à jure petendum conceditur. c. 2. de Libell. oblat.*

Dubitari potest Quartò, utrum Tutor, an mater tutorum filiorum, si nomine pupilli aut pupillorum inviti conveniantur in iudicio, de causis post positam tutelam ortis, aut de novo inchoandis, licet possint appellare? Respondetur ex *c. ex parte 67. h. e.* quod licet appellare possint contra tale gravamen, cum non possint de talibus litiis conveniri amplius pupillorum nomine, posita tutela; si tamen lis aliqua cum Tutore, pupilli nomine, tempore tutelæ cepta fuisset, deberet hic eam, posita etiam tutela, proseguere, nisi omnis administratio in Curatorem translata fuisset, ut ne indefensus destituatur pupillus in causa, quam ipse incipere non potuit.

§. IV.

*De iis, quibus non est permissum appellare.*

Primo appellare non possunt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio citati dixerunt se nolle venire, in penam scilicet veræ contumaciæ, ob quam condemnatus fuit. Secundo non possunt appellare, qui sententiam contra se litem expressè vel tacitè approbaverunt, ut dictum. Tertio appellare non possunt, qui legitimæ appellationi adversarii sui non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent; ut scilicet in eo puniantur, in quo ipsi deliquerunt. *c. Constitutus 23.*

*& c. Anst. 42. h. t.* Quarto appellare non possunt, qui propriâ voce, ac sponte in iudicio confessi fuerunt, & clarâ ac plenâ probatione convicti, quia talis appellatio præsumitur interposita subterfugii tantum causâ &c. si verò tantum confessus aliquis fuit in iudicio, non tamen debito modo convictus fuit, potest quidem appellare, appellatio tamen talis, si confessionem non revocavit, & nullam rationabilem causam appellationis expressit, non habebit effectum suspensivum, qui executionem Iudicis à quo impediret, sed tantum devolutivum, vi cuius inhibere potest executionem Iudex ad quem; *juxta c. Romana 3. §. Si autem b. t. in 6.*

SECTIO III.

*De sententiis, vel actibus, à quibus appellari potest, vel non potest.*

§. I.

*A quibus sententiis & in quibus causis sit licitum appellare?*

IN genere loquendo appellari potest à quacunque sententia valida, nisi expressè in jure sit prohibitum, quia appellatio est defensio, quæ nemini facile negari debet. Spectato tamen jure civili non nisi à sententia definitiva, non autem interlocutoria appellari potest (ad cavendam scilicet litem prorogationem, quæ de hoc jure, nisi intra triennium expediantur, expirant) nisi interlocutoria gravamen imponeret, quod per sententiam definitivam vel appellationem ab ea reparari non potest, aut vim habeat definitivæ, vel post eam non speretur definitiva.

Ccc 3 fini-

finalis. De jure Canonico autem appellare licet ab omni sententia interlocutoria & quovis gravamine tam ante quam post sententiam definitivam, uti patet *ex c. super eo 12. h. t.* cum cursu temporis non expiret litis excepta instantia, *Tridentinum tamen sess. 13. c. 1. & sess. 24. c. 22. de reformat.* videtur juris civilis observationem urgere, dum statuit, non licere appellare ab ordinariis locorum ante sententiam definitivam ratione gravaminis per interlocutoriam impositi, nisi interlocutoria talis esset, à qua etiam de jure civili appellari potest, servetur consuetudo & praxis cujusvis tribunalis.

Potest autem appellari, vi utriusque juris, non tantum in causis civilibus, sed etiam criminalibus, ut patet *ex L. Et in majoribus 20. junctâ Glossâ V. negotiis Cod. h. t. can. Liceat. 20. causa. 2. q. 6. & c. eum sit 5. h. t. §. Præterea.* & ex ratione gravaminis amovendi (ex communi tamen Romani Imperii consuetudine in criminalibus, præcipue capitalibus, non admittitur appellatio, ut dictum, ne multum differantur criminum puniendæ executiones, per frivolas appellationes, contra probationes luce meridianâ clariiores) & quidem admittitur appellatio non tantum in causis gravioribus, sed in minoribus etiam, imò levibus ac minimis causis, prout statuitur in *c. De appellationibus 11. h. t.* ad removendam quamcunque injustitiam, & quodcunque gravamen, quod in modica etiam causa contingere potest, & quia appellationis remedium ordinarium remedium est, quæ ordinaria remedia etiam in modicis rebus conceduntur, quamvis speciali

statuto loci alicujus decerni possit, nec minima re admittatur appellatio, ad procedendum, sumptibus in temerariis quocunque appellationibus, & ne nimium multiplicentur lites, prout nec in Curia Romana appellatio admittitur pro litem, quæ non excedit 10 ducatos & quovis ab omnibus etiam extrajudicialibus gravaminibus appellari potest, etiam in his & inferendis, in judicio tamen appellari non potest, nisi à gravamine inflictio, aut gravaminis inferendi comminatione injustè à Judice, prout docet *Glossa in Clement. sent. 3. V. appellatione, h. t.*

## §. II.

*In quibus causis appellare non liceat, & in specie de appellationibus à correctione Prælati seu Superioris regularis vel secularis?*

**N**on admittitur appellatio à legibus correctione Prælati seu Superioris quæ fit regularis disciplinæ causa, *nostro 3. h. t.* remedium enim appellationis, non ad iniquitatis defensionem sed ad præsidium innocentie institutum est. *c. Cum speciali 61. §. porro h. t.* quæ causam nec secularibus Clericis appellare conceditur contra disciplinam clericalem, prout statuitur in *c. Reprehensibilis 26. h. t.* & hinc in *Concil. Trident. sess. 13. c. 1. de reformat.* prohibetur appellatio in causis visitationis & correctionis, & in *c. 1. de reformat. sess. 22.* statuitur, quæ appellatio executionem, quæ ad correctionem pertinet, suspendat, quæ tamen intelligi debent, casu quo Prælati aut superior, live secularis ille sit, sive regularis

gularis, modum in corrigendo non excedat, conceditur enim in *c. Irrefragabili* 13. de offic. Iud. ordinar. contra tales, modum notabiliter in correctione excedentes, aut formam præscriptam non observantes appellatio, ita ut talem appellationem nec privilegia concessa impedire possint, quia tunc Prælati seu Superior potestate suâ abutitur; quæ tamen ipsa appellatio, sicuti ordinariè non impedit aut suspendit executionem, sed tantum effectum devolutivum parit, ita etiam excessus ille, ob quem fuit facta appellatio, non tantum exprimi debet in Libello appellationis, sed etiam probari debet, cum non præsumatur.

§. III.

De appellatione ab excommunicatione, interdicto & suspensione.

Potest quidem à sententia excommunicationis & interdicti appellari, neutra tamen censura per appellationem, quæ latam excommunicationis aut Interdicti sententiam subsequitur, suspenditur, prout sumitur *exc. Adhac* 37. junct. *Gloss. V. interdictum, h. t.* sed parit tantum effectum devolutivum, quod idem etiam dicendum est de suspensione ab officio Divino, & à suspensione ab ingressu Ecclesiæ *juxta c. h. cui. 20. de senten. excommuni. in 6.* cum enim censura secum trahat executionem sententiæ, quo magis scilicet timeatur, & ne per appellationes tales vilescat auctoritas Ecclesiæ, & censura contemnatur, consequenter non habebit effectum suspensivum postposita appellatio, sed tantum devolutivum, ut Judex ad quem examinare pos-

sit, utrum justè lata sit, & absolvere ab ea, si videatur, aut remittere pro absolutione ad excommunicatorem v.g. quin imo non obstante appellatione tali non impeditur Iudex, qui excommunicavit v.g. aliquem, quominus talem excommunicatum esse, denuntiet publicè, prout statutum habetur in *c. Pastoralis* 53. §. *Verum. h. t.* vix tamen hodie fieri hoc posse videtur post *Concil. Constant. Extravag. Ad evitanda*, ubi de vitandis & non vitandis excommunicatis statuitur. Certius est, cum ea, quæ à communi jure exorbitant, extendenda non sint, *in cit. autem c. Is cui* illius tantum suspensionis, per postpositam appellationem, executionem non impedire dicitur, quæ fit ab officis Divinis aut ingressu in Ecclesiam, consequenter de aliis suspensionibus, ab ingressu v.g. in reialicujus possessionem, à percipiendis fructibus beneficii &c. intelligi hoc non debet; & probabiliter etiam intelligi hoc non debet de suspensione, quæ fit ob delictum merè præteritum, & non tam medicina contumaciæ, quam pœna delicti est.

§. IV.

Utrum appellari possit in causis seu factis Notoriis?

Respondetur, in talibus causis non admitti appellationem, quæ effectum habeat suspensivum, *c. Pervenit. 13. & c. Consultui* 14. *h. t.* cum appellationes contra talia notoria sint frivolæ, interim tamen non tantum effectus devolutivus huic tali appellanti conceditur, sed à declaratione etiam notorii admittitur etiam appellatio suspensiva, cum Judex in declaratione notorii errare possit. Potest au-

autem variis modis dici notorium aliquid. Primò per facti evidentiam, quod nullâ tergiversatione celari potest. *c. Cum olim. 24. de V. S.* Secundò per Confessionem Rei in iudicio. *c. Romana 3. §. Si autem. h. t. in 6.* Tertio per sententiam condemnatoriam, si ab illa appellatum non sit. *c. fin. de cohabit. Cleric. & Glossa hic V. confessione.* Quarto per testes idoneos, si nihil illis oppositum sit, si quidem ex probationibus in iudicio factis exurgit notorium, postquam in causa conclusum & probationibus renuntiatum fuit, *juxta Glossam. in c. significaverunt. 35. V. liquere de testibus.*

## §. V.

An & quare ratione appellari possit, vel non, contra electionem & confirmationem Prælatis?

Contra Prælatum electum, & à legitimo superiore jam confirmatum non admittitur appellatio aut exceptio ad executionem illius & possessionis immisionem impediendam, nisi rationabilis causa allegetur. Licet accusatio contra eum & denuntiatio admittatur. *c. Constitutus 46. h. t. nisi excipiatur contra Electores aut Confirmatorem, quòd eligendi aut confirmandi potestatem non habuerint, & hoc in continenti probari possit, aut contra electum excipiatur, quòd crimen commiserit, cui infamia iuncta sit, aut quòd commiserit crimen falsi in confirmatione obtinenda &c.* Sicut enim in his casibus admittitur exceptio, ut consuevit bono Ecclesiæ, ita in aliis casibus non admittitur ob præsumptionem, quam pro

se habet post electionem & confirmationem, & ob præsumptionem, quod malitiosè alii velint illum impedire.

## §. VI.

De aliis nonnullis casibus, in quibus appellatio non admittitur.

Primò contra jus aut juris extensionem, non admittitur appellatio. *consuluit. 29. h. t.* quia jus neminem justè gravat, nisi causa aliqua rationabiliter allegetur, & probetur, propter quod in speciali tali casu jus commune non habeat.

Secundò ob hanc ipsam causam non admittitur appellatio à Religiosis facta contra constitutiones suas regulares. *Quia nos 32. h. t.* Tertio non admittitur appellatio à pœna per legem definitam à sententia Iudicis ad hanc pœnam condemnantis *juxta cit. c. Quia nos. in deatur talis conqueri potius de Legum quietate, quàm judicantis. Quia mera executione appellari non potest. Novit. 43. h. t. nisi modum, licet præscriptam, & limites positos excedat in alio enim casu non censetur generalis executor, qui nullam executionem, sed nudum ministerium habet, sed Iudex potius executionem mandans. Quintò qui juramentum contulit ad causam decidendam, non potest à sententia Iudicis appellare, quia non potest ille, cui juramentum delatum est, si ex causa rationabili noluit illud adimplere, & propterea condemnatus est. *Deciditur in L. generaliter. 12. §. 1. autem. Cod. de Re. credi. junct. Glossa. Detulit.* Cùm enim ille, qui juramentum*

tum derulit, sponte hanc viam ad causam decidendam elegerit, consequenter merito illi negatur appellatio, quæ tamen alteri, jurate iusta de causa recusanti, non negatur. Sexto appellari non potest de jure civili contra sententiã in iudicio possessorio latam, quia non affert magnum & perpetuum præjudicium, cum talis in petitorio omne gravamen amovere possit, vel si non possit, conceditur ipsi etiam à sententiã in possessorio lata appellatio, velut à gravamine aliter irreparabili. De jure Canonico autem, ubi etiam de minimis conceditur appellatio, etiam à sententiã in possessorio lata appellari potest, uti sumitur ex c. Ad sedem 15. de restitut. sponsal. & ex c. significaverunt 36. de Testibus. & ex Clement. Vnic. de sequest. possess. Septimo admitti non debet appellatio manifestè frivola, quæ scilicet sine legitima causa interponitur. c. Cùm appellationibus 5. h. t. neque excusatur subditus, quò minus teneatur obedire superiori suo ob frivola talem appellationem interpositam, sed potius puniendus est, prout sumitur ex c. Cùm parati 19. h. t. &c.

§. VII.

De Causis commissis adjectã clausulã: appellatione remotã.

Ex c. Pastoralis 53. h. t. habetur, quòd per hujusmodi clausulam non tantum prohibeatur, & revocetur appellatio frivola, sed etiam iusta ac legitima, si ea non sit specialiter in jure expressè & concessa; si enim tantum frivola appellationes per hanc clausulam removerentur, nihil vel certè parùm illa clausula operaretur, cum eã etiam non apposita frivola appellationes de jure communi ad-

mittendæ non sint. Clausula autem quælibet in rescripto apposita, quamvis strictam interpretationem mereatur, si à jure communi exorbitet, ita tamen intelligi debet, ut operetur aliquid. Dicitur autem appellatio in jure expressè concessa, & indulta, in omni illo casu, in quo à jure factum aliquod pro gravamine agnoscitur, contra quam appellationem nihil operatur clausula adjecta rescripto v. g. Appellatione remotã. Cujus rei exempla habentur in c. Postremo 36. h. t. & c. ex parte 47. eodem. Et plura referuntur à Glossa in cit. c. Pastoralis. V. Expressè. uti etiam in c. significanti. 34. c. Rodolphus 35. c. significavit. 36. de rescript. c. Exhibita. 19. de iudiciis. c. Dilecti. 8. c. Dilecti 18. c. significaverunt. 11. de Except. &c. & quamvis cum citata Glossa aliqui ex c. Pe debitus 59. h. t. probari posse putent, quòd hodie deferri semper debeat appellationi ex causa iusta & probabili interpositæ, quamvis cum clausula, appellatione remotã: concessum rescriptum v. g. sit; contraria tamen sententiã uti communior, ita verior est, tum quòd c. Pe debitus, non loquatur de Iudice dato cum clausula, appellatione remotã: tum quòd verisimile non sit, jus c. Pastoralis. pro bono communi ad lites devitandas loquentis, tam liberaliter & facilè correctum fuisse; & hinc meliùs dicitur effectum esse clausulæ illius, Appellatione remotã: quòd tollat omnem appellationem legitimam, quæ non reperitur expressè à jure concessa, non quidem quoad effectum devolutivum, sed quoad effectum suspensivum (nisi Iudex, ad quem ex speciali causa inferiori Iudici, à

D d d quo

quo appellatum fuit, executionem inhibeat) ita ut Iudex à quo, non deferens tali appellationi, quantumvis probabili, non puniatur, nec attentata post talem appellationem revocentur à Iudice ad quem per viam nullitatis, licet possint revocari per viam querelæ.

Potest autem causas cum hac clausula, *appellatione remotâ*: committere solus Pontifex, tanquam Iudex supremus in causis Ecclesiasticis: in causis verò profanis & inter Laicos solus Imperator, aut alius Iudex, qui superiorem in temporibus non agnoscit. *c. super questionem. 27. §. si verò. de offic. Iud. deleg.* (neque enim inferior jus superioris, ad quem appellari potest, tollere potest) & clausula hæc in rescripto, plures articulos continente, qui à se invicem dependent, si ab uno eorum removeatur appellatio, etiam in aliis ejusdem rescripti articulis non concessa censetur, cum ad causam principalem, quæ committitur *appellatione remotâ*: omnes eodem modo se habeant. *c. secundò requirès. 41. h. t.* quòd si verò plura diversa negotia seu causæ non connexæ in eodem rescripto ponantur, attendi debet, ubi ponatur clausula *appellatione remotâ*, ita ut ad omnia antecedentia extendi quidem possit, non autem ad consequentia, odiosæ enim restrictiones, ad sequentia se ordinariè non extendunt, nisi connexa sint hæc consequentia cum accedentibus. *6. Inquisitioni. 71. b. t.*

## S E C T I O IV.

*De Iudicibus, à quibus, & ad quos appellari potest, vel non potest.*

## §. I.

*A quibus Iudicibus appellari potest, vel non?*

**A**ppellari regulariter potest per se à omni Iudice, qui sententiam tulit, sive ordinarius, sive delegatus fuerit, etiam si communi consensu partium Iudicis talis impetratus fuerit, prout sumitur ex *Causam 14. de sentent. & re judic. non pro-* rogaverint in se Iudicis alius nec in jurisdictionem, cum in tali casu voluerit quidem approbasse sententiam, non tamen sententiam, contra quam iudicis defensionis remedium sibi licet invenerunt. Intelligi tamen hoc debet de appellatione à quovis Iudice per se cità dictum, quòd appellari scilicet quolibet possit, nisi nullum ille superiorem, in ordine ad sibi competentem jurisdictionem, habeat. *Can. Ipsi Iudices & Can. Cuncta 17. causa. 9. q. 3. C. de sententia* enim appellationis est, ut sit Superiorum, ergo ubi non est Superiorum locum habere non potest appellatio, nisi Iudex non sit, sed merus Executor tantum, ut Arbitrator compromissarius, respectu horum nullam jurisdictionem habentium nulla possit fieri jurisdictionis suspensio, sicuti tamen fieri solet per appellationem propriè dictam.